DIVINI NUMINIS
AUXILIO
POSITIONES SEQUENTES
DE

LUMBRICIS

EX
AUTHORITATE ET DECRETO
MAGNIFICI AMPLISS.
ET GRATIOSISSIMI
SENATUS MEDICI
PRO DOCTORATUS GRADU
LEGITIME ET SOLENNITER
ACQUIRENDO.
PUBLICE EXAMINANDAS
PROPONIT

FORTUNATUS A JUVALTIS
ZUZIENSIS RHÆTUS

AD DIEM XXIX. AUGUST.
AN. cIɔ Iɔc LXII.
IN AUDITORIO MEDICO
HORIS CONSUETIS.

BASILEÆ
TYPIS IOH. IACOBI DECKERI
ACADEM. TYPOGR.



VIRO ILLVSTRI
Nobilitatis, Prudentiæ atq; Fortitudinis
Splendore, multaq; rerum Bellicarum Experientia
Celeberrimo,

DN. PETRO A PLANTA

ZUZIENSI,
INCLYTO RHÆTORVM HEROI,
QVONDAM ENGADINÆ
SUPERIORIS LANDEMANNO
AMPLISSIMO,
NVNC TEMPORIS CÆSAREÆ MAJEST.
MILITIÆ COLONELLO
STRENVISSIMO
Mecœnati atque Cognato suo jugiter colendo,

Hanc Disputationem inauguralem officiosè
offert & consecrat

FORTVNATVS à JUVALTIS.

Q. B. V. D.

POSITIO I.


QUEMADMODUM in Macrocosmi, ita & in Microcosmi variis partibus multiplicia vermium genera progenerari, non tam veterum & recentiorum Authorum Clarissimorum authoritas, quàm experientia ipsa satis superq; comprobat atque testatur. Sic refert Cl: Fernel. Patholog: lib. 6. cap. 10. se exiguos in renibus genitos & cum urina profusos vidisse; Item lib. 5. pathol: cap. 7. asserit, in quodam milite, qui resimis erat naribus ex fœdiore quadã illuvie diutiùs cohibita, vermes duos villosos instar digiti, circa nares & os ethmoides genitos inventosque esse, qui tandem in furorem illum adegerunt, febreque non admodum manifestâ de medio sustulerunt. Hollerius scorpionem vidit in Cerebro cujusdam Itali, natum ex Basilicæ herbæ frequenti odoratu. Visus sæpè vermis qui demorso corde vitam ademerat. Visus etiam ab Avicenna qui abdomen perforavit. Alexander Pedemontanus scribit, repertos esse in capsula cordis, qui demorso corde primò epilepticos insultus, deinde mortem attulerunt. Alii tussi rejectos vermes aspexisse affirmant, in auribus quoque, dentibus, sæpè etiam in neglectis abscessibus ulceribusque sordidis eosdem reperiri, autopsia ipsa demonstrat, imò & aliis in locis, præsertim autem tales in intestinis originem suam ducere, praxis quotidiana asserit. Cùm itaque frequens magnusque in intestinis sit eorum proventus, seque sæpissimè curandos offerant, in animum induxi saltem in præsentiarum de his verba facere, qui intestina & ventriculũ occupant,

& Græc. communi nomine ἕλμινθες, θηρία, Latinis Lumbrici à lubricitate, item ventris tineæ & ventris animalia nuncupantur.

2. Sunt autem Lumbrici animalia in inteſtinis, rariùs in ventriculo hominis, ex materia putreſcente & à calore vivificante genita, quę variè actiones lædere ſolent.

3. Dubitatur ad quodnam affectuum genus ſint referendi, attamen dico, ſub diverſa conſideratione, ad omnia genera referri poſſe, nam ut inteſtina vellicant & pungunt vel obſtruunt ſimulq́ue alios affectus producunt, cauſę ipſę morbificę dici poſſunt; prout verò ſunt ſubſtātię ſuperadditę iis, quę naturaliter in inteſtinis contineri debent, inter morbos in numero aucto toto genere præter nat: à Gal: recenſentur, quemadmodum & calculus, etſi id impropriè fiat; ac denique prout intemperiem cum humore conjunctam ſequuntur, & excernuntur per alvum aut etiam per os, ad ſymptoma in excretis commodè reduci queunt.

4. Verùm enim verò ut Lumbrici omnes Causâ materiali, efficiente & fine conveniunt, ita rursùm formâ ſeu figurâ, quantitate & generationis loco differunt. Unde tres ipſorum oriuntur differentiæ eſſentiales, nonnullæ etiam accidentales.

5. Prima eſt eorum, qui Græc. ϛρογγύλαι, Latinis teretes ſeu rotundi & longi ſunt, ac quandoque longitudine ſuâ palmum æquant, vel paulò longiores ſunt atq; in ſuperioribus gracilibusque inteſtinis & in ventriculo gigni ſolent. Unde ſæpè aſcendunt in ventriculum, eumq́ue gravibus torquent ſymptomatis. Inde per gulam quandoque os ipſum conſcendunt, è quo hiante etiam proſiliunt: clauſo verò, dormientibus per palati cavum obrepunt in nares, forasq́ue prodeunt. Hi aliis frequentiores exiſtunt, ſuntq́ue ſimiles quaſi vermibus in terra ortis.

6. Sè-

6. Secunda Lumbricorum latorum est, qui etiam Græc: πλατεῖαι, καὶ ταινίαι, Lat: verò fasciæ, institæ, potàmiæ & cucurbitini, propter similitudinem quam cum rebus prædictis obtinent, vocantur, qui longitudine & altitudine reliquos superant & non raro per tota extenduntur intestina, ita ut sæpè ad tricenos usque pedes extendi visum sit; hoc genus magis rarum est & vix Medico praxin exercenti ter aut quater in vita videre contingit.

7. Tertia species est Ascaridum, qui tenues & exigui; si cum superioribus conferantur, teretes, filorum particulas atque eorum vermium, qui in putrido caseo conspici solent, similitudinem referentes. His ferè sedes est in recto intestino & extremo sphinctere.

8. Atque hæ sunt usitatiores in intestinis genitorum vermium differentiæ: cum aliæ multæ accidentales exoriri possint, ut à coloribus, quidam albi magis, alii cineritii, flavi, aut rubri: à quantitate, alii magni, alii parvi in sua specie dicuntur. Unde apud Hipp. (referente Gal:) quidam ascarides dicuntur magni, factâ scilicet cum ejusdem speciei, non alterius lumbricis comparatione: à loco etiam sumuntur istorum vermium differentiæ à nobis jam commemoratæ, dum rotundos in ventriculo & superioribus magis intestinis generari diximus, latos in inferioribus & superioribus, ascarides autem in extremitate potissimùm ani, seu recti intestini: denique à frequentia, unde alii frequentes, alii minùs frequentes.

9. Causæ lumbricorum sunt quatuor: Materia, Forma, ut anima ipsorũ quâ vivunt & moventur, Efficiens & Finis. Ut perfectio Universi, & si Mercuriali fides danda, ut materia hujus mundi, & præsertim animaliũ per generationẽ lumbricorum depurgaretur, dein ut

ſc. horum animalium nutritione excrementa copioſa corporum conſumantur.

10. Cauſa Efficiens duplex cenſetur, Principalis & Inſtrumentalis; Principalis eſt ſol. qui ut generatione æquivoca ranas & id genus inſecta, ita & lumbricos in corpore noſtro progenerat: Inſtrumentalis eſt calor ſolis una cũ calore noſtro; calor ille putrefactorius in materia, rationem cauſæ ſine qua non obtinet, dum ſc: mixtum diſſolvit, ut dein ſol vires ſuas in illa materia exerere valeat.

11. Materialis cauſa duplex eſt, proxima vel remota: Proxima eſt craſſa, phlegmatica, viſcoſa & putrida materia in inteſtinis vel ventriculo contenta.

12. Cauſa remota eſt vel interna vel externa, Interna eſt craſſa, cruda & pituitoſa materia aut etiam alia putredini obnoxia, quæ vel in inteſtinis aut ventriculo continetur, aut ab aliis partibus eò tranſmittitur. His adnumerari poſſunt res naturales & contra naturam.

13. Ad res Naturales pertinent temperamenta humida, pituitoſa, aut quomodocunque putredini atque cruditatibus obnoxia. Item Muliebris ſexus, ob copioſam humiditatem, quâ ſcatere ſolent mulieres & propter otioſam vitam. Ætas puerilis à dentitionis tempore usque ad pubertatem, ob humoris copiam voracioremque naturam & caloris in humido vim. Senilis etiam ætas, ob vitiatas concoctiones ſæpius lumbricos incurrere ſolet.

14. Inter cauſas internas recenſentur etiam quidam morboſi affectus, humorem illum augere valentes, aut efficientem cauſam ſuſcitantes, ut ventriculi diſpepſiæ, apepſiæ, bulimiæ, obſtructiones, febres quotidianæ & alii, qui ideo verminoſi dicuntur, quòd non tam eos ſequantur, quàm illorum generationis principia & fomites ſuppeditent.

15. Cauſarum externarum appellatione ſex res non naturales conſiderandæ veniunt, inter quas primò aeris vis occurrit, quæ non parva ad lumbricos excitandos, utpote per quem cauſæ illius univerſalis energia communicatur. Tempeſtas auſtrina, humidiorque, imbrium copia, anni occaſus, ſeu Autumnus, ut loquitur Hipp. 6. Epid. & 2. ſect. 1. initio, tum ob fructuum copiam, tum ob inæqualitatem illam, quâ variis modis calorem noſtrum nativum infringit: Verna quoqne conſtitutio, ob humores præcedenti tempore collectos, fuſosque, adveniente calore, ac putredinem concipientes. Eadem ratione Regio ſeu Mundi plaga his reſpondens. Conſtitutio denique peſtilens non parum ad lumbricorum productionem poteſt, excitatâ nimirum in nobis humorum corruptelâ & enervato calore nativo.

16. Verùm potentiſſima cauſa ad materiam lumbricorum progenerandam repetenda ex alimentorũ ſeu victus ratione depravata, in quocunque temperamento vel ætate: quicunque enim gulæ obnoxii plurimis ſeſe cibis ingurgitant, mixtionibusque varii generis ciborum palato blandiuntur, illi magnam lumbricorum copiam colligere ſolent; Unde pulmentorum, lactis frequentior uſus cum aliis cibis permixti, carnium in puerulis, qui adhuc eas conficere non poſſunt, caſei, leguminum, caſtanearum, piſcium, fructuum horæorum olerumque, huic rei valde eſt idoneus; præſertim verò ſi his acceſſerit potus immoderatus, otium ſeu deſidia, longior ſomnus, animi torpor, timor, alvi ſuppreſsio, vel nimius fluxus, balneorum, aut veneris intempeſtivus uſus.

17. Sequuntur nunc ſigna quæ vel Diagnoſtica vel Prognoſtica, & utraque Communia, ſeu omnibus lumbricis in genere competentia, aut Particularia ſeu unicuique ſpeciei propria.

18. Ac primò à causis antecedentibus & externis, ut rebus naturalibus, non nat: & contra nat: si eo modo se habeant, ut supra dictum fuit, non parva desumitur conjectura. 2. ab Effectibus seu symptomatis, ut actionibus læsis, excretis, & qualitatibus mutatis, certiora signa desumuntur. Sic quod ad animales actiones læsas spectat, fiunt Deliria, Epilepsię, Lethargi, Convulsorii motus frequentes, oculorum Obtenebrationes, Stridores dentium, Masticationes inter dormiendum & quasi deglutitiones, ita ut pueruli pupillam sugere videantur, Clamores repentini, narium Pruritus & Perfricationes, morosi fiunt pręter ipsorum mores & consuetudinem.

19. Ad Vitalis actionis offensionem pertinent, Syncopes, Lypothymiæ, Palpitationes cordis & pulsuum vaga & mutabilis inæqualitas, respiratio quoque ceu mixta actio imminuitur, Febris adest.

20. In functionibus verò naturalibus imprimis elucescit lumbricorum istorum pernicies. Etenim multiplices hîc affectus producere solent, Cardialgias, Anorexias, cibi Fastidia, Famem, Sitim, Apepsiam, Singultum, Vomitum, quin & corporis sine manifesta causa Absumptionem.

21. Ab Excretis mutatis itidem signa lumbricorum perscrutamur. Illis enim ut plurimum adest alvi fluxus humoris crudi, albidioris aut cineritii, urinæ albæ tenues turbidæ, sudores patiuntur foetidos frigidosve, salivam ex ore fundunt, malèq; olentem spiritum exhalant, potissimùm verò acidum, imò vermes ipsi sæpe per os, nares, aut anum ipsum (quod signum certissimum) excernuntur.

22. Has omnes conjecturas confirmabunt qualitates mutatæ, quæ verminosos sequuntur affectus ut color fa-

lor faciei pallidus & quaſi tumens, oculorum rubor, labiorum humiditas de nocte, de die eorundem exſiccatio, extremorum mutabile frigus.

23. Signa itaque hæc ſunt Communia, quorum tamen quædam uni aut alteri ſpeciei magis ſunt addicta, neque tamen omnia in omnibus, ſed alia in his, alia in aliis, hoc vel illo tempore conſpiciuntur.

24. Præter hæc ſunt alia unicuique generi peculiaria. Inprimis rotundorum ſigna ſunt incredibilis ventriculi & inteſtinorum morſus, tuſsicula ſicca, lenis & exigua & lumbricorum rotundorum per os, nares & anum excretio.

25. Qui latos continent continuas ſtomachi vellicationes ſentiunt & canina appetentia ipſos infeſtat: Infallibile verò ſignum eſt, quod & Hipp. 4. de morbis, & Gal. & Ariſtot. 5. de hiſtoria animal: 19. & alii multi teſtantur, ſi inter excrementa alvi appareant corpuſcula veluti ſemina cucurbitæ.

26. Aſcarides vehementem in ano pruritum excitant, aſsidueque ad egerendum irritant, ad hæc ab egeſtione ſemper fœtor maximus percipitur, imo & quandoque ani prolapſio contingit.

27. Prognoſis lumbricorum generalis hoc modo inſtituenda eſt. Quod magni beneque ſaginati peiores ſint parvis & macilentis, multi cohærentes aut conglobati paucis, flavi, lividi, rubri & variis figuris præditi, deteriores albis & lævibus, quia magis à naturali conſtitutione recedunt, & ferocioris humoris naturam participant, viventes mortuis.

28. Lumbrici in febrium initiis & vigore ejecti malum ſignificant: ſanitatis autem ſpem promittunt in declinatione, cum critica comitatur excretio.

29. In ſpecie, Teretes ſunt periculoſiſsimi & moleſtiſsimi, ob locum quem occupant & motum quo va-

riè cientur. Lati verò diuturni & difficillimi curatũ, ita ut sæpè homini consenescant & inductâ macie sensim interimant. Omnium minus periculosi sunt Ascarides & curatu faciliores, pruritu tamen & fœtore molesti.

30. Superest ut aggrediar curationẽ. Lumbrici cum sint toto genere præter naturam, sui ipsius ut & causæ suæ antecedentis & proximæ è corpore remotionem indicant, sed quia dum vivunt non facile tolluntur, eò quòd attractioni & eductioni renitũtur & subinde majorem molestiam creant; inde insurgit altera indicatio opere prior, licet dignitate posterior, nempe necandos esse vermes: Quoniam autem interdũ non ita facilè citoque possunt interimi, ut esset opus, præ multa molestia, quam excitant, præcipuè à quadam causa vehementi agitati; ideò necesse est, ut interdum ante omnia reprimantur donec possint necari & educi: His nonnunquam indicationibus & alia supervenit, quorundam sc. symptomatum, ut destructæ omnino appetentiæ cibi, ac immodici alvi fluoris, ut & animi deliquii, correctio.

31. Quibus Indicationibus ut satisfiat, sequentia ex fonte Diætæ & Pharmaciæ in usum veniunt.

32. Talis instituatur diæta, quæ causæ & vermibus sit contraria. Aer sit temperatus, & si febris absit, ad siccitatem vergens. Cibi boni succi præscribantur, calefacientes & attenuantes absente febre, satisque liberaliter alatur æger in frequentia, alioquin punctiones fient intestinorum à lumbricis, ob inediam eorundem, quæ cum fiant dulcia offerantur, nam iis utplurimum placantur lumbrici, cibus quoque sit ita comparatus, ut facilè distribui possit in universum corpus. Vitentur è contra quæcunque putridos humores generando causam morbificam augere possunt; ut caseus, lac, pisces, legumina, fructus horarii, &c.

rii, &c. pro Potu vinum convenit aquoſum abſente febre. Alioquin ſi vinum omnino refugiant, aqua acetoſ: gramin: portulac. cum oxyſacharo uſuvenit. Item detur talis aqua in qua radix gram. aut fragmenta cornu cervin. bulierint; Cerevisia pura hic non improbatur. Somnus ſit moderatus nocturnus potius quam diurnus, fugiat motum violentum, præſertim à cibo, deſidia etiam corporis & animi nimia improbantur; excrementa alvi reſpondeant, vehementes animi perturbationes vitentur.

33. Medicamenta vermes necantia aut ſtupefacientia, alia amaritudine, acrimoniâ, ſalſedine, aciditate, alia etiam proprietate peculiari id præſtant, ex quibus ſelectiora ſunt Abſinthium, Abrotanum, Camædrys, Centaurium minus, Marrubium, Santonicum, ſemen Nigellæ, Cardamomum Caſſia lign. & alia aromata, præterea Allium, Porrum, Cępa, ſimiliter Calamintha, Aniſum, ſemen Apii, Nauſturtiũ, Mentha, Cichorium, Portulaca, ſemẽ Coriandri, Oxymel, Syrupus acetoſus, Oleũ commune, amygdalarũ amararum, nucleorum perſicorũ, omphacinum, pulv. contr. lumbricos, raſura Eboris, Cornu cervi, Bolus armena, Corallina, quæ inter omnia facilè primatum retinet, pręſtantiſſimorum medicorum teſtimonio: Ex. gr. ℞. Sem. Contr. vermes ʒiij Corallin: ʒij. raſur. Corn. cerv. Eboris ãʒj M. F. Pulv. cujus ʒj vel ℈ij dentur cum juſculo convenienti, tempore matutino, cum neceſsitas poſtulaverit.

34. Verùm in horum medicamentorum interna adminiſtratione hoc perpetuò obſervandum, dulcia & delectantia cum iis commiſceri neceſſariò debere, hâc attamen cautione, ut ſemper amara dulcibus prævaleant. Dein prædicta remedia nequaquam vehementia eſſe opportere, nam facile & ventriculus læditur & lumbrici cum ægri damno agitantur.

35. Dum

35. Dum prædictis contra vermes pugnatur, non intermittenda quæ externè applicantur, siquidem convenienter & rectè administrata non parvam contra eosdem expugnandos utilitatem habent. In hunc fine mfieri possunt Emplastra, Cataplasmata, Fotus, Inunctiones, Sacculi, quorum formulæ ex Practicis repetendæ & pro judicio & prudentia Medici dirigendę.

36. Enecatis aut stupefactis lumbricis ad ipsorum expulsionem veniendum, quæ per os assumptis, ut Catharticis, Lenientibus, aut per anum injectis, ut Clysteribus & Balanis perfici poterit.

37. Inter purgantia occurrunt Rhabarb: Aloe: Agaricus, &c. quæ non saltem eos cum aliis humoribus expellunt, verùm etiam enecant, Lenientia quin etiam id præstare valent, ut oleum Amygdallarum dulcium, Butyrum, Juscula pinguia carnium & Sebesten, quorum decoctio mirum in modum commendatur.

38. Enemata fiant ex lacte, sacharo, pingui jure pulli, omisso sale & oleo, hæc enim cum vermibus sint inimica facilè eos versus superiora fugare possunt, adeoque efficere ut minimè educantur. Interdum quoque possunt fieri clysteres ex rebus illis, quæ simul & semel vermes alliciunt & interficiunt, nempe ex lacte cum decoctione absinthii, centaurii minor: & sacharo.

39. Balani præsertim ubi ascarides adsunt, ad eorum internecionem comendantur tales parari possunt ex melle & pulv. hieræ diacolocynthidos.

40. Tandem symptomatis nimis urgentibus occurrendum, ut destructa cibi appetentia vermes necantibus & ventriculum corroborantibus tollatur; nimius alvi fluxus adstringentibus simulq; confortantibus, ut succo plantaginis vel foliis ejusdem tritis potui datis syrup. ribium addito tantillo pulv: bol: armen: & terræ lemniæ sistetur; animi etiam deliquii multoties vires refocillantibus remediis ratio habenda.

F I N I S.